



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxi [i.e. xvi]. Gradus metaphysici ejusdem individui distinguuntur solâ
ratione ratiocinatâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

eâdem claritate, eâdem cognitione cognosco principium ratiocinationum in ordine ad sensationes, & obscure in ordine ad ratiocinationes: imò cognitâ hac ratione animalis formaliter, cognosco etiam rationale formaliter, id est, entitatem illam, quæ simul formaliter est animal & rationale, seu etiam cognosco rationale formaliter in ordine ad sensationes, non tamen formaliter in ordine ad proprium connotatum. Nequè contra hanc doctrinam opponas: ubi datur conceptus formaliter præscindens, ibi dari debet objectum præcisum, consequenter præcisioni formali debet correspondere præcisio objectiva; nam conceptui præscidenti formaliter correspondet objectum formaliter præcisum, quod appellare poteris præcisionem formalem rationis, quæ denominatio extrinseca non distinguitur à conceptu præscidente formaliter & objecto sic diversimodè cognito, adeoque nihil dicit tenens se ex parte objecti.

XVI. Gradus metaphysici (qui sunt prædicata illa communia superiora & inferiora recensita in prædicamento) in eodem individuo distinguuntur sola ratione ratiocinata;

¶

si enim distinguerentur inter se realiter, vel ex natura rei, unus de altero non poterit verè prædicari, adeoque falsæ erunt hæ propositiones: *homo est animal: animal est substantia* &c. Præterea si ratio superior, v.g. substantiæ est distincta à ratione inferiori, V.G. Angeli, hominis &c. adeoque de se indifferens, ut quæ nunc est in Deo, Angelo &c. potuisset, vel posset esse in lapide, Angelus non erit purè spiritualis, quia nihil spirituale est vel esse potest in lapide. Animal igitur, quod est in Petro, non magis potest affirmari de equo, quàm rationale; dum enim dico: *equus est animal*: affirmatur de equo animal omninò diversum ab eo, quod est in Petro. Nequè dicas: Petrus à parte rei est Petrus per differentiam individualement, & non est Petrus per naturam; aliàs omnis habens naturam humanam esset Petrus: nam falsum est assumptum, ex quo malè infertur illud consequens; mutatur enim suppositio, cum natura prius sumatur particulariter in sensu reali, prout à parte rei est in Petro, dein ut præcisa per intellectum, quatenus est omnibus hominibus communis: bene autem sic fieret illatio: *ergo omnis habens hanc naturam Petri, est Petrus.*